

» singulas causas premissorum occasione coram quibusvis judicibus,  
» quavis etiam apostolica auctoritate fulgentibus, ubilibet et in  
» quavis instantia pendentes, etiam si instructa existant, ad nos ad-  
» vocare et lites hujusmodi penitus extinguere, et super illis quibus-  
» vis personis in eis interesse pretendentibus perpetuum silentium  
» imponere, nec non licentia et facultati deputandi presbyterum  
» Grecum ad eorum nutum amovibilem, qui in dicta ecclesia s.  
» Georgii missam celebret, ac eis ecclesiastica sacramenta ministret,  
» ut prefertur, nec non exemptioni et subjectioni Leonis predeces-  
» soris hujusmodi, ac omnibus et singulis aliis privilegiis, immuni-  
» tatibus et indultis apostolicis ipsis hactenus concessis robur nostre  
» approbationis adiicere aliasque eis in premissis opportune provi-  
» dere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de premissis  
» certam notitiam non habentes, ut eorum devotio erga dictam  
» sanctam Sedem et Romanam ecclesiam eo amplius augentur, quo  
» ipsi majoribus favoribus et gratiis ab illis se confoveri cognove-  
» rint, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tue, de qua  
» ob ejus prudentiam, circumspectionem ac litterarum scientiam, in  
» his et aliis majoribus magnam in Domino fiduciam obtinemus,  
» per presentes injungimus; quatenus de premissis etiam summa-  
» rie, simpliciter, et de plano, ac sine tela judiciaria, solaque facti  
» veritate inspecta te diligenter informes, et si per informationem  
» hujusmodi illa vera esse, et absque ipsorum Latinorum animarum  
» periculo ac publico scandalo id ipsis Grecis concedi posse cogno-  
» veris, omnes et singulas causas predictas in quibusvis terminis  
» et instantiis reperiantur, etiam si instructe existant, quarum status  
» et merita, ac nomina et cognomina judicium et collitigantium,  
» presentibus haberi volumus pro expressis, ad te advoces, et lites  
» hujusmodi penitus extinguis, ac super illis quibusvis personis, in  
» eis interesse pretendentibus perpetuum silentium imponas, nec non  
» licentiam et facultatem ac exemptionem et subjectionem Leonis  
» predecessoris hujusmodi, nec non omnia et singula alia privilegia,  
» immunitates et indulta Apostolica ipsis Grecis, sub quibusunque